



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Controversia sive contentio inter Augustinianos & Dominicanos de
Indulgentiis orta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

gloriose scriberet: *Theologia nostra & S. Augustinus prospere procedunt & regnant in nostra Vniuersitate Deo operante, Aristoteles (nempe Philosophia) descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam. Mire fastidiuntur Lectiones sententiarum (nempe Theologia Scholastica) &c.* (a) maxime vero tunc Diaboli versutia ingenio huius hominis abuti coepit, quum infelix illa inter Dominicanos & Augustinianos de Indulgentiarum prædicatione contentio exarasset. Quam ille fouere cupiens, iuuenem hunc monachum rebus suis valde commodum fore videbat, utpote audacia & confidentia plenum, sophisticam præterea, non indoctum & volubilis sermonis, & ex hoc ipso superbum & ambitiosum: & qui quum fræno opus haberet, gloriæ calcariibus quum à se ipso tum ab alijs (b) iucitaretur. Et hæc quidem ambitio præcipuus fuit vnus quo diabolus eum in rete suam pertraxit: ut qui magnifice se circumspiceret, ac nihil non sibi tribuendum existimaret, videns vnum se esse tam multis ad hanc quæstionem agendam electum. Singulare hoc diaboli est artificium, & quasi duplicatus ictus quo ille ad extremum fere contra eos vitur qui reliquos eius ictus fortiter exceperunt. *Superbia*, teste Augustino, (c) *communis omnium hæreticorum mater est*. Et alius ait, in *Hæreseos regno Ambitionem & superbiam primas tenere sedes*. Quatuordecim annis Lutherus in Monasterio vixit, ad rebellandum semper pronus, inconstans, & quotiescumque turba aliqua aut dissidium inter Fratres existisset, dux magis partium quam assidua. Hoc scilicet hominum genus diabolus quærit. Placidis & quietis amantibus ingenijs non vitur, sed feris, impetuosus & vana gloria ac superbia inflatis. Talis Lutherus fuit: instrumentum scilicet diaboli rebus promouendis aptissimum, ut ex tristis huius historiæ serie patebit.

QUOMODO LUTHERVS PV-
blice è suggestu docere coepit:
& quam ob causam.

CAPIT VILL

ARGVMENTVM.

- I. *Controuersia siue contentio inter Augustinianos & Dominicanos de Indulgentijs orta.*
- II. *Staupitius Luthero concionandi dat negotium.*
- III. *Lutherus in oppugnandis Indulgentijs mirifice de-
iudat.*

IV. *Ad Episcopos de suo concionandi instituto & materia scribit.*

V. *Indulgentiarum insignes abusus, à Fr. quodam Thoma enarrantur ac deplorantur.*

VI. *Iusta Dei aduersus eiusmodi abusus iudicia.*

I. **Q**UEMADMODVM Martis olim sacerdotes inter duos exercitus consistentes, faces accensas coniciebant, ut eo signo dato imperus fieret, ac hostili acie concurreretur; sic diabolus vbi duas velut Augustinianorum & Dominicanorum legiones in mutuum perniciem armatas & in procinctu stantes vidit, oleum igni modis omnibus suffundere allaborauit, ac præcipue partium duces, quorum plerisque de sua magis quam Dei gloria, ac de olla potius quam animorum salute, certamen erat, inuidia, odio, auaritia & ambitione accendit. In quo certamine boni quidem sancto diuinæ gloriæ zelo impellebantur, veruntamen cæcum malorum imperum sistere aut cohibere non poterunt. Sic ergo duo hi Monachorum ordines velut collato pede & infestis signis congregi coeperunt, Luthero vnus, Tecelio alterius partis duce & ante signano. Agnoscamus hic iustum Dei iudicium, qui domum suam purgaturus, dissidium hoc inter duos ordines existere permisit; nec strictum semel terribilis iræ suæ gladium prius recondidit, aut plagas sanauit, quam iustitiæ suæ satisfactum, & castigationis tempus sit elapsum. Sed ad rem ipsam accedamus.

II. Staupitius Generalis Augustinianorum Vicarius, ingenium & mores Lutheri optime perspectos habens, eum adauit, ut contra Indulgentias prædicaret, eorumque quibus illas publicandi munus demandatum erat, vitia & abusus populo ostenderet. Et hoc quidem munus lubenter ille suscepit, tum ut iniuriam Ordinis sui fratribus, ut putabant, illatam, vindicaret; tum ut gloriam & lucrum ex Indulgentijs speratum Dominicanis è faucibus eriperet. Sic illi per inuidiam & auaritiam in suggestum producto, propria Ambitio arma contra comunem Dominicanis cum Ecclesia causam, ipsamque Ecclesiam subministravit. Excitata huius turbæ Staupitium non semel pœnituit. Sed fero quidageret? lacta erat alea: telum ex arcu excussum reuocare non licebat. Idem ei accidit quod
a *Selneo pag. 5 Epist. Lutheri.* b *Staupitius Vic. Generalis Augustin per Germaniam & alij seq. cap. nominandi hi fuerunt.* c *Lib. de offi. past. cap. 8.*